



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

27. An religiosus factus Episcopus efficiatur Dominus reddituum
Ecclesiasticorum, & absolvatur à voto paupertatis? Et an prædictus
Episcopus possit liberè testari de bonis patrimonialibus, & ex ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

Thomam intelligere Pontificem, vt optimè notat Faustus, & Sanch. *loci citatis. ex Soto de iust. lib. 10. q. 2. art. 2.* Ad confirmationem respondeo negando paritatem rationis, nam per Episcopatum ita mutat Religiosus statum, vt subtrahatur ab obedientia Prælatorum Religionis, & quodammodo desinat esse membrum illius corporis, argumento *cap. 18. q. 1.* per inferiora autem beneficia non fit tanta mutatio, sed potest Religiosus manere sub obedientia sui Prælati, quamuis beneficium habeat. Est autem difficile intellectu, quod Prælati possit præcipere subdito aliquid, per quod subtrahatur à sua obedientia; facile autem, quod præcipiat ministerium sub obedientia sua exercendum. Deinde in statu Episcopali multò magis est periculi, quam in inferiori, non solum maioris obligationis, sed etiam propter maiorem libertatem, honorem, potentiam, & rerum abundantiam; in quibus omnibus magis distare videtur ab humili Religiosorum statu. Rursus Religiosus semel factus Episcopus, non potest per voluntatem Superioris, Episcopatu priuari vt per se constat; potest autem priuari beneficio inferiori, etiam sine speciali causa. Cæteras autem rationes videbis apud Suarez, *vbi supra*, vnde sine fundamento aliqui his diebus circa præfens dubium loquuti sunt.

RESOL. XXIV.

An Religiosus factus Episcopus sit liber ab observatione Votorum? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 61.

Sup. hoc in Ref. seq. & in aliis eius primæ not. pro part.

§. 1. Communiter negatiuè respondent, sic D. Thom. in 2. 2. *quest. 185. art. 8. & quest. 88. artic. 11. ad 4.* D. Bonaventura in 4. *dist. 38. Sotus lib. 10. quest. 5. art. 7.* Syluester *ver. Religio 7. num. 11.* Rodriguez *tom. 2. quest. 58. art. 3.* Syluius in 2. 2. *quest. 185. art. 8. concl. 1.* Valerius in *diff. vir. fori. ver. Regularis, differ. 5.* Toletus *lib. 5. c. 4. n. 24.* & alij quibus ego libenter adhæreo *ex cap. de Monachis, 16. q. 1.*

2. Non desinam tamen hic adnotare contrariam sententiam probabilem à multis existimari, & ita illam vocat Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 35. diffic. 40. num. 6.* vbi sic ait. [Algunos tienen que el Papa dispensa con los Obispos Religiosos en los votos, así lo tiene Bobadilla, que fue Padre muy docto de nuestra Orden, el fundamento desta sentença es vn texto en el *c. statutum, q. 1.* que dize,] Statutum est, & rationabiliter secundum Sanctos Patres à Synodo confirmatum, vt Monachus, quem Canonica electio à iugo Regulæ Monasticæ professionis absoluit, & sacra Ordinatio de Monacho Episcopum fecit, veluti legitimus hæres paternam sibi hereditatem postea iure vendicandi potestatem habeat, [y ha fe aqui de ponderar la palabra *absoluit*, y la palabra *legitimus hæres*, y la palabra, *sibi*, y aun la palabra *de Monacho Episcopum fecit*: que parece, que diga, que dexa de ser Frayle. Esta sentença es probable, y si alguno le contentara mas esta, que otra opinion, podra responder al *c. de Monachis*, que se entienda de decencia, y no obligacion. Y à la razon de congruencia de S. Thomas. puede se responder, que como el Religioso, que se passa de Orden menos estrecha, à la que es mas, no queda obligado à las cosas de perfeccion de las que dexo, que basta cargarle de las nueuas, así es à qui. Y como el Religioso, à quien hazen Papa, no esta obligado à las cosas de la Religion, así el Obispo.] Ita Villalobos, &

ante illum absolūtè docuit hanc sententiam Medina de *sacr. homin. conuic. lib. 5. cap. 26. & 27.* cum Angles in 4. *quest. de voto, dub. 6. concl. 1.* & consequenter Ouandus in 4. *dist. 38. propos. 17.*

RESOL. XXVII.

An Religiosus factus Episcopus efficiatur Dominus reddituum Ecclesiasticorum, & absoluaatur à voto paupertatis?

Et an prædictus Episcopus possit liberè restari de bonis patrimonialibus, & ex industria acquisitis?

Et an dictus Religiosus Episcopus teneatur saltem sub veniali ad obseruantias regulares qua Pontificio muneris non obstant.

Et inferius Religiosum Episcopum, si edat carnes fric. 6. in qua Natalis Domini incidit contra id quod præcipitur in sua regula, non peccare etiamsi Episcopus esset ex Fratribus Minimis.

Etiamsque non teneri Officium dñm in iuxta sua Regule ritum soluere.

Et si Religiosum Episcopus omittat habitum sua Religionis, & assumat exteriorem Episcopalem, tunc non incurrit excommunicationem la. am. contra dimittentes habitum sua Religionis. Ex p. 3. tr. 2. Ref. 50.

§. 1. Hic casus frequenter accidit, & licet negatiuam sententiam teneant 42 DD. quos citat & sequitur Sanchez in *summ. to. 2. lib. 6. c. 6. n. 8.* quibus ego addo Tannerum in 2. 2. *D. Th. disp. 5. q. 4. dub. 6. n. 13.* Sanctarellum *tr. de Apostasia. c. 6. dub. 3. n. 20.* Cenedo de *paupertate relig. dub. 43.* & Barbolam in *coll. lect. 10. 4. p. 2. causa 18. q. 1. n. 13.* Barthol. à S. Faustis in *Theol. Relig. lib. 6. q. 190.* quia vota à talibus Episcopis in Religione emissà non laxantur, nec limitantur, nisi quatenus obstant muneris Episcopali, tantum maioris bono; sed muneris Episcopali non obstat paupertatis votum, & abdicatio domini, dummodo tales Episcopi habeant liberam administrationem omnium bonorum Ecclesiasticorum, vt ea in quoslibet vsus decentes expendant, ergo, &c.

2. Attamen his non obstantibus, contrariam sententiam puto esse probabilem, quam ex Dominicanorum familia docet Sotus de *iust. lib. 7. q. 4. art. 2. ad ult. & ex Soc. Ie. & Vafq. in p. 2. q. 96. art. 4. disp. 165. c. 8. n. 91. in fin. & n. 104.* Palacios, Medina, Angles, & alij. Et si hæc opinio non esset probabilis & negatiua esset tenenda, sequeretur quod alius deberent Episcopi si petuacaneè consequuta restituere, atque ab ipsis sic accipientes etiam restituere tenerentur. Dicendum est igitur Religiosum ad Episcopatum assumptum eximi à paupertatis voto, & officique verum dominum reddituum Ecclesiasticorum, inquit Episcoporum secularium, ex quorum numero est, quia eodem processu modo adiudicatur sua portio Episcopo seculari, ac regulari, cum libertate transferendi in alium, domini administrationem. Ex his patet posse liberè prædictos Episcopos restari de bonis patrimonialibus & ex industria acquisitis. Vide Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 35. dub. 40. n. 6.*

3. Sed quaeret aliquis, an dictus Religiosus Episcopus teneatur saltem sub culpà veniali ad obseruantias Regulares, qua Pontificio muneris non obstant, imò valdè conferunt, vt potè quæ inuanc ad promouendam, & custodiendam perfectionem, & quam Episcopalis status proficitur, vt sunt oratio, & abstinentia moderata, &c.: Respondeo negatiuè, & ita docent Sanctarellus *vbi supra, numer. 17.* Lellius *lib.*

lib. 2. cap. 40. dub. 14. num. 113. Sanchez loco citat. n. 19. Villalobos n. 17. & alij penes ipsos; solum igitur dicendum est debere illas observare ex quadam honestate, & debito morali.

4. Hinc inferitur primò contra Caictanum 2. 2. quæst. 185. art. 8. dub. 1. in fine, Religiosum Episcopum, si edat carnes feria 6. in quam Natalis Domini incidit, contra id, quod præcipitur in sua regula, non peccare. Ita docent Barbola ubi supra num. 5. Sanctatellus num. 20. Sanchez num. 20. Cenedo num. 20. qui bene asserit, hoc etiam verum esse, si Episcopus esset ex Fratibus Minimis. Secundo inferitur supradictum Episcopum Religiosum non teneri divinum officium iuxta suæ Religionis ritum persolvere. Ita Faustus in Theol. Relig. lib. 6. quæst. 194. num. 3. in fine, & alij. Et tandem contra Doctores, quos rectè impugnat Sanchez num. 3. Cenedo num. 18. Si Religiosus promotus ad Episcopatum omittat habitum suæ Religionis, & assumat externum Episcopalem tunicam, non incurrit in excommunicationem latam adversus Religiosos dimittentem habitum Religionis. Et ita etiam hanc sententiam docet Sanctatellus ubi supra tract. de Apostas. cap. 1. dub. vnic. num. 15. Villalobos in summ. ubi supra tom. 2. tract. 35. dub. 4. num. 19. Barbola in collect. tom. 3. lib. 3. tit. 24. cap. 1. num. 4. & alij. Sed circa præsentem quæstionem præter Doctores citatos, lege Syllium in 2. 2. quæst. 185. art. 8. conclus. 1. 2. & 3. & Ledesimam, in Addit. ad sum. tract. 3. c. 1. concl. 25. & q. fol. mihi 73.

RESOL XXVIII.

An Episcopus ex Religione Minimorum assumptus teneatur ad votum vite Quadragesimalis: Ex p. 5. tr. 13, & Misc. 1. Ref. 39.

Affirmativam sententiam docet Laurent. de Peyrinis in privileg. Minim. tom. 3. cap. 14. num. 3. ubi hoc probat ex auctoritate trium Summorum Pontificum. Primus fuit Paulus V. qui Duci de Albuquerque, eo tempore Legato Romæ pro Rege Hispaniarum, petenti dispensationem super hoc voto pro R. P. Fr. Gondifalvo de Angulo Ordinis nostri Episcopo Valenzolæ in Indiis, respondit: Ego semper fui huius Religionis devotissimus, & abstinui à Fratibus dictæ Religionis in Episcopos promovendis, ne cogerer cum eis super voto vite quadragesimalis dispensare, & sic dispensare recusavi. Ita testatur est P. Trimarchi dicti Ordinis audiuisse ab ipsomet Duce Albuquerque, cum esset Prorex Sicilia anno 1628. Secundus fuit Gregor. XV. qui noluit dispensare, quamvis multum rogatus super duo vota cum R. P. Fr. Francisco à Mayda Ordinis nostri Generali, & Episcopo Lauellenti, qui etiam Episcopus eiusdem opinionis erat, retulit enim ipsomet mihi Romæ, quod cum quadam die fuisset invitatus à quibusdam Prælati ad prandium, paraverunt illi cibos Paschales, dicentes: Iam domine Episcopo potes nobiscum cibos Paschales comedere. Qui respondit: Non equidem, nam teneor observare dictum votum, sicut antequam essem Episcopus & erat hic Episcopus vir doctissimus, & eloquentissimus Concionator: Tertius Pontifex Urbanus VI I. qui in examine, quod fiebat coram ipso R. P. Fr. Francisco Castellano Episcopo Capuliensis Ordinis nostri, petiit ab eo, an teneatur ad votum vite quadragesimalis? & cum

ipse Castellanus respondisset, non teneri, respondit Papa. Errasti, teneris enim. quoniam ex hoc solum accretur à dicto Episcopatu conicquendo, nec voluit cum eo super dicto voto dispensare.

2. Secundo probatur eadem conclusio; quia Minimi vouent observare vitam quadragesimalem toto tempore vite suæ, ut patet ex eorum professione in correctorio, num. 18. Næc valet dicere quod illud, toto tempore vite suæ, intelligitur, quamdiu in Religione permanferint, nam est implicita in terminis, quod quis proficendo intelligat perseveranter vivere sub voto quadragesimalis vite, & id expressè dicat, & quod deinde intelligat vitam quadragesimalem observare quamdiu tantum in Religione steterit, si enim vult perseveranter vivere toto tempore vite suæ in Religione, quomodo potest intelligi quod nolit se obligare ad servandum votum vite quadragesimalis, nisi quatenus in Religione steterit? Hæc omnia Peyrinus, qui tamen per negativam sententiam me citat, sed immeritò amicitissimus vir asseruit, esse parum consideratè prolatam.

3. Nam licet affirmativa sententia circa præsentem quæstionem sit satis probabilis, negativam tamen non minus probabilem esse existimo, quam noivissimè tuetur doctus Ioannes Henric. in Compend. casuum moral. cap. 6. num. 17. ubi sic ait. [El Religioso expulso de la Orden de los Minimios, siendo la expulsion perpetua, y el Obispo de la misma Religion, no estan obligados à guardar el voto de la vida quaresimal por la mudanca de la materia in qua.] Sic ille. Ad auctoritatem verò Summorum Pontificum, quam asserit Peyrinus, respondeo primò de illis responsionibus non constare authenticè, vel dicendum est dictos Pontifices ita respondisse adherendo opinioni affirmativæ, quam nos, ut diximus, probabilem etiam esse existimamus, sed non exinde sequitur negativam sententiam carere probabilitate.

*Citat lin 6. § vi. precedentis Ref.

RESOL. XXIX.

An vota, quæ in quibusdam Religionibus annectuntur tribus votis substantialibus, obligent Episcopos ab istis Religionibus assumptos? Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. Ref. 71. alias 70.

1. Suppono in aliquibus Religionibus adesse Stalia vota; & sic in Religione Beatæ Mariæ de Mercede adest votum incumbendi Redemptioni Captivorum: apud Minimios Divi Francisci de Paula, votum vite Quadragesimalis: In Religione Societatis Iesv, votum quartum solemne obediendi Summo Pontifici in Missionibus peragendis. Deinde emittuntur alia quinque vota simplicia. Primum est de non relaxanda paupertate, nec admittenda eius relaxatione. Secundum est de non procuranda dignitate aliqua directè, vel indirectè in Societate. Tertium de non procuranda, vel acceptanda Prælatione, vel Dignitate extra Societatem, nisi obedientia intercedat. Quartum de denunciandis ambientibus Supradictas Dignitates. Quintum est de audiendo Præposito Generali à constituto in statu Prælationis eiusque consilia sequendo, si meliora visa fuerint.

Sup. hoc lege doctrinam Ref. precedentis, & aliarum Ref. & §s. eius primæ an. no.

2. Difficultas est, an ista vota obligent Episcopos ab istis Religionibus assumptos? Et affirmativè respondent aliqui; quia dicta vota sunt accessoria statui Religioso, & tribus votis substantialibus.